

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Carmina in laudem B. Mariae Virginis multorumque sanctorum

Brant, Sebastian

[Basel], [nicht vor 1494]

Elegia christi collaphis cesi

[urn:nbn:de:bsz:31-290354](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-290354)



Elegia christi collaphis cesi.

Respice quę tulerim pro te mihi care viator
 Verbera: quas vultu cernis & ore notas.
 Aspice quāta / manu sua / mihi luída danť
 Figunturq; meis vulnera quanta genis.
 Cur eadem paterer / nulla est mea culpa: nec vlla
 Causa: nisi vt medica sanus homo esses ope.
 Languores ego certe tuos: tua crimina gessi:
 Et liuore meo vulnera sicca tenes:
 Nempe ego vellenti faciem sine murmure sacram:
 Atq; alape hostili / colla benigna dedi.

Cum male tractarer / linguam simul ora retenta
Continui: haud placuit illa vel illa loqui,
Vt solet agnellus coram tondente silebam:
Et quasi quæ ducta est ad loca mortis ouis.
Quid potui o mea gens facere vterius? neq; feci?
Fare age si quid habes cur merito ista feram?
Num fatis: ex limo q; te produximus olim?
Fecimus esse aliquid cum nihil ante fores.
Et tibi contulimus partem deitatis habendam:
Inq; voluptatis iussimus esse loco.
Hinc tibi mellifluum totiens promissimus aruum.
Idq; datum est Abrahæ / seminibusq; suis.
Num fatis e dura te seruitute Canopi
Ducere: siccatum per mare: perq; solum?
Quando quater decies / Arabum deserta / p annos
Lustrabas: grandi murmure manna legens.
Te mihi fructiferam vitem plantare iuuabat:
At modo / amara nimis: tu mihi dira paras.
Hascine pro meritis grates / tormenta rependis?
Das q; creatori vulnera / probra / crucem?
En meus ille sacer vultus / deitatis imago:
Spiritus superis gaudia summa ferens:
Illa inquã facies in qua sita gloria celi:
Sanctorum requies: atq; hominũ vna salus:
Turpiter asputa est: vetulentis plena saluís
Squallet: & a pugnis aspice cesa tumet.
Ecce ego pte natis hominũ formosior vnus:
Nec formã / aut specimẽ / nec decus omne gero.

Præla ego calcaui solus: cruor vndiq; fluxit:
Nec mecū ex cunctis gentibus vllus adest.
Dulcis amice vides q̄ sim miserandus / & hosti:
Et mea q̄ possit forma mouere feras.
Ah quanto potius / mea gens / mi care popelle
Funera nostra gemas: & miserare necem.
Cōmoueat te noster amor: nāq; arce paterna
Lapsus amore tui: mille pericla tuli:
Atq; libens: quid enim limo vel puluere egebam?
At volui: vt nolles īmemor esse mei.
Cor mihi nate tuum præbe: cui pectus apertum:
Et manibus passis brachia tensa dedi.
Certe ego cui referas grates sum dignus amator:
Me sequere: atq; tuam / fer quoq; / tolle crucem.
Disce meo exemplo patienter ferre dolores:
Et dare in aduersis pectora tota deo.
Nemo coronatur nisi quem patientia laudat:
Ergo boni pugnans militis instar age.

Brant modo christe tuo defluit noie plagas
Atq; alapas: consors sit necis ille tuę.